tentię. Nam et dominus qui fructum requirat, fecundos uiuificet, ste-
riles deprehendat. Anni tres sunt ex quo uenit et fructus in iudeis
inuenire non potuit; utinam inueniat in nobis. Iussurus est suc-
cidi infructuosos, ne terram occupent. Sed quia adhuc non habent
fructum, conuenit ut afferant in futurum. Bonus ille cultor agri
inueniet pro nobis infecundis, pro nobis infructuosis, ut detur spa-
cium, patientia differatur, ne forte et nos aliquem fructum ferre
deo possimus. Singulis quoque generibus hominum conueniens tribuit
sanctus baptista iohannes responsum unum omnibus: ita publicanis ne
ultra praeceptum exigant, militibus ne calumniam faciant, ne praeda
requirant; docens idcirco stipendia esse constituta militię, ne
dum sumptus quaeritur praedo grassetur. Sed hec et alia officiorum praecepta pro-
pria singulorum. Misericordia communis est usus, ideo commune praeceptum
omnibus officiis, omnibus etatibus necessaria et ab omnibus deferen-
da. Non publicanus, non miles excipitur, non agricola uel urba-
nus, diues et pauper omnes in commune admonentur ut confe-
rant non habenti. Misericordia enim plenitudo uirtutum est, et ideo omni-
bus est proposita perfectę forma uirtutis, ne uestimentis alimen-
tisque suis parcant. Misericordię tamen ipsius pro possibilitate condicionis
humanę mensura seruatur, ut non sibi unusquisque totum eripiat, sed
quod habet cum paupere partiatur.

ESTIMANTE autem populo et cogitante in cordibus
suis de iohanne ne forte ipse esset christus, respondit
dicens: Ego quidem uos baptizo in aqua in penitten-
tia. Uidebat ergo iohannes cordis occulta; sed conside-
remus cuius hec gratia. Nam quemadmodum prophetis palam fiant cor-
dis occulta, paulus ostendit dicens: Occulta quoque cordis
eius manifesta fient, et procidens in faciem adorauit dominum
pronuntians quod uere deus est in uobis. Uides ergo munus esse quod reuelat,
non uirtus hominis, quia diuino magis adiuuatur beneficio quam

License: CC-BY-NC – Einsiedeln, Stiftsbibliothek, Codex 166(413), p. p.%2059 – Ambrosius ‹Mediolanensis›, Expositio Evangelii secundum Lucam (http://www.e-codices.ch/en/sbe/0166/p.%2059)